

# REVERN

## DO IN CHRISTOPATRI

D. ANDREAE BOELGEN,

Veteris montis Abbati uigilan-  
tissimo, Gotfridus Mitto-  
pius S. D.



**C**M in rebus belli-  
cis, hoc Reuerēde pa-  
ter ordo militiæ ex-  
postulet, ut sint q̄ im-  
perēt, sint etiā q̄ impe-  
rata gnauit̄ exquant̄,  
hic duplici potissimū  
honore tua dignitas  
mihi uenerāda uideſ,  
utpote qui in hoc in-  
restino ecclesię bello, ita uerbi doctrina, morūq̄  
exēplo p̄ſis, ita in mandatis tui impatoris me-  
diteris die ac nocte, ut dubium sit, rectius ne fide-  
lis p̄ſecti (utrūq̄ enim agis) an strenui militis  
munus obeas: memor sine dubio illius, qui ait:  
Ego aut̄ in medio uestrū sum, tanq̄ q̄ ministrat.  
Huc accedit, q̄d p̄ſis officijs, p̄ter domesticam  
curā, non solum de tuo grege, uerum etiā de to-  
to Christi ouili bene merearis: dū in usum fide-  
liū, maxime eorū, q̄bus talentū diuini uerbi cō-  
missum est, e tua bibliotheca, ueluti ex plenis

aA ij

horreis, sincera quæque ueterum pastorum pa-  
bula, non sine gloria depromis. Nam (si quid in  
me iudicij est) ut nulli maiori fructu rebus Chri-  
stianis cōsulunt, ita pari profecto gloria, aut cer-  
te non multo diuersa illi digni sunt, qui ipsi soli  
di aliquid condunt, & qui uetustissimos quosq̃,  
& proinde probatissimos theologiæ scriptores  
ad posteritatem transmitti curant. Quid enim  
mea refert, num inuento thesauro, an terra ma-  
riq̃ quæsito ditescar, præsertim si ob id in loco  
neglectus sit, ut ego quandoq̃ hoc inuenio fru-  
ar? Nihil sane. Vt igitur hi ampliori præmio re-  
munerandi sunt, qui non tantum de sibi concre-  
dita mina fideliter negociantur, uerum etiam la-  
bores aliorum, ueluti inuentam pecuniã, ad mē  
sam domini expendere satagunt: ita certe maio-  
ri pœna torquendi, qui nec de suo, nec de alieno  
cuiquam recte consulunt. Ab hac nota se alienã  
ostendit tua reuerentia, cum nuper inter alia **D.**  
**Haymonis** monumenta opus homiliarum per  
me euulgandum curauit. In qua re, ne mea negli-  
gentia quisquam impediretur, nec labori, nec im-  
penlis peperci, donec bonis auibus, quantum  
licuit citissime in lucem euolaret: sic meo offi-  
cio satis factum existimans, si non quod magni  
imperatores, quod gloriosi milites, salte id præ-  
stem, quod solent ij, qui in bellis aut arma parãt,  
aut com meatum aduehunt. Huic conatui etiam  
id calcar addidit, quod uidebam studiosis qui-  
busq̃, ut cætera **Haymonis**, ita hoc opus maxi-



me gratum fore: imitatus in hoc prudētes mer-  
catores, qui solent eam mercem impensius ac-  
cumulare, quam uiderint ab emptoribus quā  
maxime desiderari. **C**eterum cum in plerisque  
locis hoc opus offenderim ordine perturbatū,  
in plerisque membris mutilum ac lacerum, in  
omnibus fere orthographiæ maculis cōspersum,  
intricatis innolutum iuncturis, uersibus aut ma-  
le coniunctis, aut perperam diuisis, tradidi opus  
ipsum **E**ucharisio fideli typographo, ea cura casti-  
gandum, qua solet in similibus rationem habe-  
re nominis sui. Ille (ut est ultra officium magis alijs  
quā sibi studiosus) cursitans huc illuc, non cō-  
quieuit, donec opera & diligentia fretus huma-  
ni cuiusdam iuxta ac docti uiri **D.** Iohannis **C**an-  
ther, tandem nancisceretur exemplar miræ ue-  
tustatis à uenerādo patre **D.** **P**etro **D**rolshagio  
abbate in **H**eysterbach, cuius collatione, cum es-  
set à mendis sat repurgatū, facile restituit, quod  
in tuo desiderabatur. **A**t in ea homiliarum syl-  
ua, quæ tempore quadragesimæ operosis fere di-  
ebus legitur, mirum quā desudauerit uir ille,  
dum superflua quæq; resecat, mutilum quodq;  
assuit, nodosum soluit, apertum contrahit, sordī-  
dum repurgat. **N**ec id quidem temerario ausu,  
sed adhibitis uetustis aliquot autoribus, **A**ugu-  
stino, **H**ieronymo, **C**yrillo, **B**eda, unde autor  
hic pleraque mutualasse constat. **E**a in re quantū  
boni **H**aymonis studiosis attulerit, nemo facili-  
us, quā fratres tui cognoscent, qui in hac men-

darum colluuię uerſari ſolent. Reponere tamen ſingula in tanto operis feruore tam accurate nō potuit, quin plurima lectori comminiſcenda reliquerit. Quamobrem conſultum uelim emptori, ſi forte fortuna aliud in poſterum homiliarū exemplar nanciſci poſſet, ſaltem profeſſorum dierum homilias ad hoc examinet. Nam illi ſere in ueteri codice deſiderabantur. In reliquis autem **D**ominicorum cæterorumq; ſolemniū dierum ſermonibus non uſq; adeo neceſſarium duco, idq; ob ueteris exemplaris autoritatē, ad cuius fidem ſingula quæq; diligenti examine æſtimata ſunt. Deniq; (ut ad deſenſionem nominis **E**uchariani, atque meæ bibliothecæ ueniam), p̄dijt nuper titulo **H**aymonis opus quoddam homiliarum, boni fortalliſis autoris, at proprio nomine deſraudati: aut ſi fuerit illi nomē **H**aymo, certe non is fuit, quem nos nunc damus, nempe **H**alberſtattēſis epiſcopus. Id ſi lector ſibi perſuaſum habeat, ſalua ſtat fama nominis noſtri. Quod autem hic noſter genuinus ſit, non ſpurius **H**aymo, non uſum eſt neceſſarium pluribus comprobare. Res enim tam clara & aperta eſt, ut qui unquam **H**aymonis quicquam uel à limine ſalutauerit, facile ex ſtyli phraſo, & conſuetâ ſcripturarum citatione, poſſit uel in tenebris manibus pedibusq; iudicium ferre. At ſi quiſpiam eſt tam craſſo ingenio ut nihil intelligat, fidem det autoritati uetuiſſimorum codicum, fidem det inſignibus duarum **A**bbatiarum bi-



bliothecis, unde fere quicquid extat Haymonis  
in lucem prodijt. Huc etiam illud accedit, quic-  
quid u biuis fragmentorum huius uiri in antiqs  
homiliarum collectaneis reperitur, per omnia  
nobiscum consonat. Consonant decem illæ ho-  
miliæ ex ueteri quodam Parisiensi codice, inco-  
gnito illi Haymoni adiectæ. Auget etiam fidem  
quod singulis sermonibus, singulas epistolarum  
quarundam lectiones adiecimus, antehac nun-  
quam editas autore eodem. Sed quid in claro  
die lucernam accendo, dum ueritas sua luce uel  
sponte panditur? Hoc igitur opus pater reueren-  
dissime, quia tuis auspicijs in lucē exijt, sub tuo  
nomine publicare uolui, quo sic de alieno libe-  
ralis, & meum in te animum testarer, & te diui-  
ni uerbi studiosis iam pridem cōmendatum red-  
derem commendatorem. Vale. Colonix  
ex ædibus nostris, Anno sesquimillesimo tricesi-  
mossecundo, pridie Nonas Augusti.